



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno CCCCLII. ad annum CCCCLXXX.

**Parisiis, 1644**

Quartvm. Quaestionis de binis vxoribus vni ductis, quarum prior non fuerat solenniter desponsata, expeditio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14918**

510 CÆLESTINI PAPÆ I. DECRETA.

mulieribus quæ ei sua fuerint confessæ peccata. Si forte (quod absit) hoc contigerit, sic pœniteat, quomodo de filia spiritali, episcopus 15. annos, presbyter 12. & deponatur tamen, si in conscientia deuenierit.

QVARTVM.

*Quæstionis de binis vxoribus vni ductis, quarum prior non fuerat sollemniter desponsata, expeditio.*

35. dist. 6.  
Videtur  
nobis.

Videtur nobis, quod secunda, quam contra prohibitionem ecclesiæ duxit, non sit vxor, etiamsi primam non haberet desponsatam. Nam quod contra interdictum & ordinem ecclesiæ factum est, ratum non haberi, tam humanæ, quàm diuinæ legis proclamat auctoritas: quia ea, quam inordinate superduxit, prohibitione renitente, vxor non est. Eam cogendus est recipere, quam iurauit, & desponsauit, & ex qua prolem genuit, vt iuramenti religio non vilipendatur, & fides adinuicem promissa seruetur, proles in cultu Dei nutriatur & educetur, & alii exinde occasionem peccandi, & alios decipiendi, assumere non valeant. Quod autem parentes, fratres, & cognati vtriusque sexus in testificationem filii & filiæ, ad matrimonium coniungendum vel dirimendum admittantur, tam antiqua consuetudine, legibus approbata, quam diuinis & humanis legibus approbatur. In dirimendo autem matrimonio, ideo maxime parentes recipiuntur, \* siue si defuerint pa-<sup>\* & c.</sup> rentes, proximiores admittuntur: quia vnusquisque suam genealogiam cum testibus & chartis, cum exercitatione & recitatione maiorum scire laborat. Quia igitur aliis melius sciunt, ideo maxime admittuntur. Similiter etiam recipiuntur, & in testificationem matrimonii coniungendi. Qui enim melius recipi debent, quam illi, qui melius sciunt, & quorum est interesse, ita vt si non intersint, & consensum non adhibuerint, secundum leges nullum fiat matrimonium? Quod vero legitur; Pater non recipiatur in causa filii, nec filius in causa patris; in criminalibus causis & contractibus verum est. In matrimonio contrahendo & disjungendo, ipsius coniugii prærogatiua, quia & fauorabilis res est, congrue recipiuntur.